

nam peccatum est defectus, & nos a Deo dis-
jungit, non conjungit aut connectit. Christus
semper est caput Ecclesiæ, sed ante lapsum
minus proprie dicitur Ecclesia, quia omnes
homines creati erant ut salvarentur & una cum
sacro - sancta Trinitate in æternum viverent.
Ecclesia autem certus est cœtus inter reliquos
homines, & propterea dicitur Ecclesia. In
dicto *Johannis C. III, 5.* nescio ubi hæreas, an
in vocula *aque* an vero *Spiritus*? Sententia
alias liquida est, Spiritum Sanctum nos rege-
nerare in lavacro renovationis & regeneratio-
nis. Sed tu mihi ostende ubi hæreas. Vale
præstantissime mi Theodore, & a me & sorore
mea salve. 18. Junii Ao. 1609.

EPIST. III.

*IV. Quæstiones tractat: 1) Esse aliquod sum-
mum bonum s. finem & perfectionem ho-
minis. 2) quodnam illud sit? 3) Unde
malum in natura? 4) unde malum effu-
giendo salutem sibi procurare homo possit?
ubi Christus unicus scopus V. & N. T.
ostenditur, de cujus adventu & officio.*

EIDEM.

Praestantissime mi Theodore; A fine tua-
rum literarum ego initium faciam, quod
illa res me sollicitum habeat neque qui-
escere

D

escere